



10.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

DE

PROXENETIS

QUAM

D. T. O. M. A.

*Ex auctoritate & Decreto*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AM-  
PLISSIMIQUE ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA ARGENTORATIENSIVM  
UNIVERSITATE

*Pro*

Summis in utroque Jure honoribus ac pri-  
vilegiis Doctoralibus ritè ac legitimè  
consequendis,

*Publico & Solemni examini  
submittit*

DAVID THOMAN, LINDAVIENSIS.

In Auditorio Majori

d. Mens.



ARGENTORATI,

Typis Heredum JOHANNIS ANDREÆ.

M. DC. L.

28

77.

1650, 13.



LIBERÆ ET AVGVSTÆ  
SS. IMPERII ROMANO-GERMANICI  
REIPUBLICAE LINDAVIENSIS,  
MAGISTRATVI  
INCLYTO,

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS AC PRVDENTIS-  
SIMIS,

PATRIAE PATRIBUS BENIGNIS,  
FELICIBUS, PIIS,

DISPVATIONEM HANC INAVGVRALEM  
IN  
MEI, MEORVMQ. STVDIORVM COMMEN-  
dationem,

EA QVA DECET OBSERVANTIA,  
ET  
ANIMI SUBMISSIONE  
offero & dedico

Tanta MM. NN. & AA.  
Subiectissimus cliens

DAVID THOMAN, LINDAVIENSIS.





I. N. D. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

DE  
PROXENETIS.

Proœmium.

**P**roxenetarum usum in magnis præsertim  
emporiis frequentem admodum esse, ita  
ut cuncta ferè negotia per eos tractari  
perficiq; soleant, experientiam ipsam sa-  
tis demonstrare puto. Nec minus et-  
iam illorum artes & fraudes, quibus sæ-  
pè homines, nihil tale metuentes, ob exiguum aliquod  
lucrum, circumvenire solent, notas esse arbitror. De  
iis itaque, quoniam quotidiana secundum Paulum JC-  
tum *in l. 25. ff. de liberat. legat.* plenius & exactius sun ttra-  
ctanda, theses aliquot pro ingenii viribus conscribere,  
easq; loco Disputationis inauguralis, post impetratam  
à Magnifico, Amplissimo, Consultissimoq; Jctorum  
Collegio, pro summis in utroq; jure honoribus & pri-  
vilegiis Doctoralibus, disputandi licentiam, publicæ  
solenniq; omnium disquisitioni exponere constitui.  
Quod ut justo fiat ordine, feliciterq; succedat, Te be-  
nignissime JESU, in cujus nomine ad omnia consilia  
actusq; progrediendum, suppliciter veneror, ut princi-  
pium, medium & terminus huic labori esse velis.

A 2 THE-

## THESIS I.

**Q**uoniam autem partitio animum legentis incitat, mentem intelligentis præparat, memoriamq; artificiosè reformat, ut inquit Accursius in §. igitur. 4. in præm. Instit. per §. sed non usque. 3. l. de legat. & l. 1. de except. dol. mal. ideoq; hanc disputationem in duas potissimùm dispesco partes, quarum prior cognitionem negotii vel obligationis proxenetarum continet generalem, posterior verò specialem. Generalis absolvitur consideratione definitionis & divisionis.

### II.

Definitio proxenetarum, sicut aliarum quoque rerum, duplex est: Nominis & Rei. Nominalis est (1) Etymologica (2) Homonymica, (3) Synonymica, (4) Paronymica.

### III.

Quoad etymologiam, deducitur proxeneta à Græco vocabulo *μεγξενίω*, quod significat concilio, sive conciliatorem contractuum ago, *Wes. π. ff. de proxenet. n. 2. Cypræ. de sponsal. c. 9. §. 14. n. 2.*

### IV.

Significationem proxenetae constituo triplicem. (1) *Latior*, ut comprehendat etiam arbitratores, *Bald. 2. consil. 50. n. 1. Bart. ad l. ult. ff. de extraord. cognit. Calvin. in Lexic. voce arbiter.* ut & amicos, quos proxenetas aliquando designare monstrat *l. 3. de proxen. l. 10. §. 7. mandat. l. 21. de usur. Bald. 4. consil. 370. n. 3.* (2) *Strictam*, quatenus sc. proxeneta ab arbitratoribus, amicisq; distinguitur, eumq; denotat, qui vero & proprio proxenetae officio fungitur. (3) *Strictissimam*, quatenus pro eo tantum accipitur, qui publicâ authoritate constitutus, circa mercatorum tantum negotia officium suum interponere solet.

### V.

Solent isti proxenetae aliis quoq; vocabulis appellari: v. g. mediatores *Nov. 90. c. 8. Nov. 123. c. 2. §. 1. & c. 16. ibid. c. 8. si quis Episcopus 1. quest. 1. c. 1. de testib. in 6. c. 2. etravig. comm. de Simon. Medii ministri, Nov. 134. c. 10. pr. l. 15. §. 2. ad Municip. l. 1. §. incidit. 13. ad SC. Turpill. Pararii, apud Senec. 2. de benef. c. 22. & lib. 3. ibid. Intercessores, apud eund. epist. 120. Interpretes, l. 3. de proxen. l. 1. §. ult. de V. O. Cuiac. π. ff. de proxen. & II. Obs. 18. C. A.*

d. t.

d. t. n. i. Conciliatores & interventores, l. fin. C. de sponsal. c. 8. & c. fin. i. quest. 3. Cypra. de sponsal. c. 9. §. 14. n. 2. Internuntii, Cypra. d. lo. Interemptores, c. clericus. 4. dist. 91. ubi gl. Amici, l. 21. de usur. Bald. 4. cons. 370. n. 3. Denique à Rota decis. 97. & 188. vocantur censarii & sensarii, à Jasone verò in §. actionum. n. 44. l. de actionibus, maloserii.

VI.

Paronymicè descendunt hinc vocabula varia: v. g. proxeneticum, præmium illud, quod proxenetis dari solet, denotans, rot. tit. ff. de proxen. & rubr. C. de sponsal. & arr. sponsal. & proxenet. & proxenetia, quod conciliatricem nuptiarum significat. Alciat. i. dispunct. 22.

VII.

Definitionem nominalem excipit realis. Relictis autem aliorum definitionibus, à Benev. Straccha in tr. de proxen. part. i. n. 2. & 3. recensitis, non incommodè ita definiri poterit, quòd Proxenetæ sit mediator, qui in negotiis licitis conciliandis duobus vel pluribus, cum vel sine honorario ministerium quale quale accomodat, & operulâ istâ defungitur, l. 2. & 3. de proxen.

VIII.

Generis loco pono *mediatorem*. Vocabulum enim hoc generale est, & ambitu suos omnes eos complectitur, quorum ministerio & opera homines in tractandis & perficiendis negotiis quibuscunque utuntur.

IX.

Subjungo, *negotijs*. Quoniam enim proxenetæ non tantum in negotiationibus & mercaturâ, sed etiam aliis in negotiis & causis, mercaturam non concernentibus, intervenire solent, ut ex l. 3. de proxen. & l. ult. ff. & C. de sponsal. patet, non immeritò cum Stracch. de proxen. part. i. n. 4. & 5. & in tr. de mercat. part. i. n. 5. & seq. iterum vocabulo, omnia ista, in quibus proxenetæ utiles esse possunt, exhauriente, utendum mihi fuit.

X.

Addo, *licitis*. In iis enim tantum negotiis, quæ suâ naturâ prohibita non sunt, proxenetarum ministerium utile esse, nos d. l. 2. & 3. & l. ult. C. de sponsal. docet, & ex regulâ illâ generali manifestum est, per quam omnia prohibita esse censentur, per quæ perveniri potest ad ea, quæ probita sunt, l. oratio. 16. de

A 3 sponsal.



*sponsal. l. 26. in fin. C. de usur. c. praterea. §. extr. de offic. jud. deleg. Stracch. de proxen. part. 2. n. 20. Gail. 2. Obs. 39. n. 10. Menoch. consil. 116. n. 15.*

XI.

Sequitur, *conciliandis*. Mercatores enim vel alii etiam, quando e.g. pecuniâ numeratâ opus habent, frequenter admodum proxenatarum utuntur ministerio, qui animos eorum, quos nummos in promptu habere putant, salvo rubore ac sollicitudine, num credituri sint explorant, & si de eo certi sunt, & de summa & de usuris, ut & de tempore solutionis tractare, dissidentiumq; animos in unam sententiam trahere, sicq; negotium ex utriusque & mutuantis & mutuam accipientis voluntate & voto perficere solent, *vid. Raphael. de Turri in tr. de cambijs. disp. 1. quæst. 2. n. 8.*

XII.

Dixi praterea, *duobus vel pluribus*: ad significandum, eos non tantum in negotiis duas saltem personas requirentibus, verum etiam ubi plurium versatur utilitas intervenire posse.

XIII.

Neque sine ratione additum est, *cum vel sine honorario*. Sordidè enim admodum faceret, qui in omni negotio, cui ministerium quale quale præbuit, honorarium peteret; cum aliquando quædam ex officio & amicitia peragere necesse habeamus; ut si quis conciliatorem amicitia vel nuptiarum agere rogatus sit, qualia exempla apud *Plin. l. 1. Epist. 5. & 14. & lib. 7. ep. 31. ut & apud Ciceronem. l. 1. Epist. fam. 3. & lib. 13. ep. 6.* occurrunt. Est praterea etiam in quibusdam negotiis cautum, ne quid philanthropii nomine accipiatur, ut in *Nov. 123. c. 2. §. 1.* Ibi enim mediatores sacerdotii, si quid eo nomine exegerunt, illud Ecclesiæ restituere tenentur. Parentes etiam & tutores, pro conciliandis nuptiis filia vel pupilla, nihil exigere posse *Perez. in prælect. Cod. de sponsal. n. ult.* docet, & vult etiam constitutio Imperatoris in *l. ult. C. d. t.* ne quicquam nuptiarum nomine capiatur. Excludunt quoque relata verba mandatum, quod, nisi gratuitum, nullum est. Quoniam originem ex officio & amicitia trahit, *l. 1. §. ult. mandat. §. ult. l. eod.* Neque minus etiam locationem & conductionem removent. Ibi enim merces, & quidem certa & non nisi in pecuniâ numeratâ intervenire solet,

§. 1.





§. 1. & 2. 1. de locat. & conduct. & sine mercede locatio nulla est,  
l. 2. pr. l. 46. ff. Locat. Tr. 1. d. 29. th. 1. lit. f. C. 1. A. d. r. thes. 12. num. 5.  
Ampliss. atque Consultiss. Dn. D. Bicc. fautor, Præceptor & Patronus  
singulari honoris cultu prosequendus sect. 4. Rerum quotid. th. 96. &  
Locam. quest. Instit. 308.

XIV.

Addo quoque ministerium quale quale accommodat. Nu-  
dum enim ministerium negotiis præbet proxeneta, intrinse-  
cum tamen & substantiale, ut loquitur Bald. §. consil. 366.  
Stracch. part. 1. de proxen. n. 8. & 9.

XV.

Denique ex l. 3. de proxen. adjeci, operulâ istâ defungitur.  
Quæ verba Stracch. d. l. n. 10. ita explicat; quasi Ictus ibi volue-  
rit dicere, sufficere proxenetam ita se gerere, ut reprehendi non  
possit, & reprehensione dignus non appareat. Additâ etiam  
aliâ explicatione, ut sc. idem significant, ac si dixisset: negotiis  
finem imponit, ac eisdem bonum exitum dat proxeneta.

XVI.

Post explicatam definitionem subjicitur divisio, quæ du-  
plex est. Primò enim dividuntur ratione formæ, & quidem et-  
iam dupliciter, in eos scil. qui accipiunt proxeneticum, & in  
eos qui gratis operam suam negotiis accommodant, Bald. 4.  
consil. 370. n. 3. add. quæ supra th. 13. dicta sunt. Deinde in eos, qui  
à magistratu approbati & albo proxenetarum inserti, insuper  
etiam juramentum præstiterunt, se ex fide officium proxenetæ  
gesturos, Stracch. d. lo. part. 2. n. 9. & part. 4. §. illa questio. n. 33. & in  
eos, qui nulla certâ formâ, neque etiam auctoritate magistra-  
tus constituti sunt, sed sponte officium hoc in se susceperunt.  
Quales sunt qui in florentissimâ hac Argentoratensium Rep.  
hoc nomine veniunt.

XVII.

Alterâ divisio defumitur ab obiecto. Quod scilicet quidam  
sint, qui tantum in negotiis mercaturam spectantibus interve-  
nire soleant; quidam verò etiam aliis in negotiis mercaturam  
non concernentibus interveniant, operamq; suam interpo-  
nant, fac. l. ult. de proxen. l. ult. ff. & C. de sponsal. Nov. 123. c. 2. §. 1.  
& c. 1. de testib. in 6.

XIIX.

XIIX.

Absolutâ parte primâ, sequitur nunc pars altera specialia proxenatarum continens. Quæ considerantur tum in se, tum in suis affinibus. In se considerata sunt non tantum in consentaneis, sed etiam in dissentaneis. Consentaneorum consideratio absolvitur duobus membris, cognitione nempe causarum, & cognitione effectuum. Causæ sunt vel externæ, vel internæ. Externarum alia est efficiens, alia finalis. Efficiens dividitur in remotam, propinquam & proximam.

XIX.

Remotam constituo Jus gentium. Cum enim & mercatura Juris gentium sit, haud malè, etiam proxenatarum constitutio, quippe qui maximè circa eam occupati sunt, ex eodem fonte originem trahere dici poterit; Et ex nuptiis Isaaci & Rebecca Genes. 24. ut & ex Xenophonte lib. 2. memorab. satis constare puto, eorum usum antiquissimis temporibus nubere cupientibus utilem fuisse, Cypræ. de sponsal. c. 9. §. 14. n. 1. Selden. de jure nat. & gent. lib. 5. c. 4. Quatenus tamen proxeneti modus, quantum nempe petere possint, constitutus est, & actio data, l. 1. l. 3. de proxen. l. ult. C. de sponsal. eatenus etiam eorum origo ad Jus Civile referri potest. Et hinc descendit causa efficiens proxenatarum propinqua.

XX.

Causa efficiens proxima, est voluntas & consensus vel utriusque partis, vel alterius tantum. Pro diversitate enim negotiorum operam suam vel utraque parte consentiente, vel unus tantum voluntate interponere solent.

XXI.

Finem constituo duplicem, alium qui intercedit ratione eorum, qui ministerio proxenatarum utuntur; alium verò ratione proxenatarum intercedentem. Ratione contrahentium finis est, ut eò facilius ad negotii alicujus perfectionem perveniant, vel citius quibus cum contrahere possint inveniant. Finis, ratione proxenatarum, & quidem eorum qui proxeneticum accipiunt, est, ut ex operulâ istâ & ministerio, quod negotio alicui quale quale accommodaverunt, lucrum aliquod capiant. Ratione verò eorum, qui gratis operam suam negotiis interponunt, est studium adjuvandi homines, promovendiq; negotia.

XXII.

XXII.

Progredior nunc ad causas internas, materiam scilicet & formam. Materia autem alia est subjectiva, alia objectiva.

XXIII.

Quod subiectum attinet, puto regulariter nemini prohibitum esse hoc officio fungi, cum sit ex genere permissorum. vide *Stracch. d. lo. part. 4. §. occurrit. n. 2.* Quoniam autem variis in negotiis proxenatarum opera utilis esse solet, ideoque etiam pro eorum diversitate quosdam ab hoc officio suscipiendo arceri puto, ut sunt (1) Nobiles, in negotiationibus strictè, pro mercaturâ aut mutuacione sumtis, *arg. l. 3. C. de commerc. & mercat.* (2) Milites armatâ militiâ stipendia merentes, *arg. l. un. C. negotiat. ne milit. lib. 12.* (3) Palatini, *arg. l. ult. C. de rescind. vend.* (4) li qui provincias regunt, quive circa eos sunt, *arg. l. 33. ff. de R. C. l. 46. & 62. pr. ff. de contr. emt. l. un. C. de cont. judic. add. Bart. ad L. aufertur. 46. §. quod à Præside. 2. ff. de jure fisc.* Hi n. omnes per dd. ll. mercimonium partim in genere, partim verò ratione aliquorum tantum contractuum, exercere prohibentur, & hinc proxenatarum officium vix suscipere possunt. Quoniam non tantum eadem, sed & fortior, propter officium proxenatarum vile admodum & sordidum, aliasq; causas, prohibitionis ratio reddi potest. Quòd autem alia attinet negotia, quorum in l. 3. de *proxen.* fit mentio, in iis conciliatores & mediatores eos esse possenon dubito. Neque enim amicitias vel nuptias conciliare (id quod tamen etiam ex l. un. C. si rector provinc. limitandum censeo), neque assessorem judici quærere, neque denique in aliis hujuscemodi negotiis intercedere aut sordidum est, aut prohibitum esse reperitur.

XXIV.

Limitationem porrò hæc regula producit iis in locis, ubi certæ tantum conditionis hominibus & definito quodam numero h. officium exercere permissum est. Quale Statutum Anconæ *Stracch. de proxen. part. 1. n. 9.* & in aliis celebrioribus emporiis usus & experientia vigere docet & demonstrat.

XXV.

An autem ii, quibus propriorum bonorum administratio interdicta est, quiq; suis ipsi rebus præesse non possunt, ut sunt pupilli, prodigi, mente capti & similes, possint proxenatarum

B

offi-

officium exercere, quærere libet? Ratio dubitandi, quod & illi  
contrahere, seq; obligare prohibeantur, *l. 6. de V. O. l. 1. §. 12. de*  
*O. & A. nec quicquam sine tutorum vel curatorum consensu*  
*alienare possint, §. ult. 1. quib. alien. lic. vel non.* Verùm respon-  
dendum est, eos hic, nisi ex dolo, nullo modo obligari, *l. 2. de*  
*proxen.* neque quicquam de bonis suis alienare, cum potius alios  
sibi obligent, conditionemq; suam inde meliorem faciant. Non  
ergò dubitandum quin etiam hoc officium gerere possint. Si ta-  
men imperitè in negotiis versati fuerint, sibi imputare debent,  
qui eos adhibuerunt, *arg. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod.*

XXVI.

*Obiectum*, sive materia circa quam proxenetæ versantur  
sunt generaliter omnia negotia licita. Non enim tantum in  
emtionibus, venditionibus, commerciis & contractibus licitis,  
verùm etiam in conditionibus, nuptiis & amicitiiis concilian-  
dis, & inveniendis assessoribus utiles sunt, ut *ex l. 2. & 3. de pro-*  
*xen. & l. ult. ff. & C. de sponsal.* apparet. Quod autem Ulpianus  
in *d. l. 3.* enumeratis quibusdam specialibus, generalia demum  
subjicit, id ipse Ulpianus in *l. 27. §. 16. ad L. Aquil.* ex mente Celsi  
in jure novum non esse asserit, licet specialia sub generalibus  
comprehendantur, *Stracch. de mercat. part. 1. n. 45. C. I. A. de no-*  
*xal. act. th. 1.* Utitur etiam Ulpianus in *d. l. 3.* vocabulo condi-  
tionis, quod, non adjectionem illam, quæ actum suspendit, sed  
pactionem & conventionem aliquam denotat, *arg. l. 2. C. de*  
*paet. int. emt. & vend. & l. 6. pro soc.* idq; etiam monstrat *Donatus*  
*in Andr. Terent. act. 1. sc. 1. ubi dicit, conditionem esse pactionem cer-*  
*tam legem in se continens.* Liquet id præterea *ex Cic. 16. epist. fam.*  
*12. aliisq; locis. Stracch. de proxen. part. 2. n. 15. & 16.*

XXVII.

In amicitiiis quoque conciliandis & reconciliandis ejus-  
modi hominum operam utilem esse *ex d. l. 3.* dictum est. Am-  
bientes enim viri alicujus amicitiam, vel reconciliationem  
quærentes, per interventores & mediatores animi sui desideria  
explebant. Habes exempla apud *Cic. 1. fam. ep. 3. & lib. 13. ep. 6.*  
*& Plinium libro præsertim 1. ep. 5. & l. 7. ep. 31.* quanquam id ne-  
gotium extra forma obligationis consistit, atq; aded ad adfinia  
magis pertinet.

XXIIX.

Nec minus olim *judices eorum ministerio*, quo facilius  
assesso-

assessores invenirent, ùsi sunt. Quoniam enim magistratus plerumque erant viri militares & legum ignari, *Cuiac. ad Nov. 82. & lib. 23. Obs. ult.* vel, etiamsi accuratam legum cognitionem habebant, ita tamen negotiis obruebantur, ut non semper, quæ juris essent, curare potuerint. Idcirco assessores sibi quærebant, qui ex Studiosis juris delecti, consilia ipsis & jura suggererent, *Wes. ff. de assessor.* Quod qua ratione fieri consuetum fuerit, ex Obrecti Progymnasmate fori addiscere facile est. Quia autem eam ad rem certus & definitus numerus non erat, sed in cujuslibet arbitrio, quem potissimum sibi deligeret, relinquerebatur, *Bocer. class. 6. disp. 3. th. 5.* idcirco per proxenetas & interventores ejusmodi eos sæpè electos fuisse nobis *l. 3. h. t. & Nov. 82. in pr.* satis manifestè demonstrat.

## XXIX.

In conciliandis etiam nuptiis proxenetas olim frequentes admodum fuisse, ab Ulpiano *in l. ult. ff. de sponsalib.* docemur, ubi inquit: *conditiones in sponsalibus ferè plerumque interpositis personis expediuntur.* Qui enim ver. gr. matrimonium cum Sejâ Sempronii filiâ inire desiderabat, per interpretem & sequestrem priùs animum Sempronii super eâ re explorabat, quo cognito de summâ & quantitate dotis, ut & de modo temporeq; solutionis per eundem cum illo agebat, hisq; demum perfectis ad matrimonii consummationem descendebat. Et hos etiam aliquando mercedis nomine aliquid accepisse non tantum ex sæpius alleg. *l. ult. de proxen. & l. ult. C. de sponsal.* sed etiam ex Luciani verbis colligitur, ubi inquit: *Ne priùs amaveris Pari, quàm pronubam me & conciliatricem hoc judicio fueris remuneratus,* *Cypræ. de sponsal. c. 9. §. 14.*

## XXX.

Omnia tamen maximè in negotiis mercaturam concernentibus operam suam ut olim ita etiam hodiè interponere solent. Hinc in magnis & celebrioribus Europæ emporiis non unicuique liberum est hoc in se suscipere officium, sed certis tantummodò personis, sub certo ac præscripto modo ac formâ committitur, id quod ex sequentibus clariùs apparebit.

## XXXI.

Nunc ad formam proxenetici officii devenio, circa quod proxenetas considero vel ut constituendos, vel ut constitutos.

58  
Forma constituendorum vel communis & generalis est, vel specialis. *Generalis*, & quæ omnibus speciebus proxenatarum communis est, est quod quivis à quovis, adhibitis tamen limitationibus supra circa considerationem subjectorum adductis, proxeneta constitui possit, & quidem consensu vel unius vel utriusque partis, non tantum inter presentes, sed etiam inter absentes per epistolam vel nuntium, *arg. l. sn. ff. de sponsal. l. 1. §. ult. & l. 2. ff. de Procur.*

XXXII.

*Specialiter* constitui solent proxenetae in emporiis celebrioribus, ubi (uti modo dictum est) certæ tantum conditionis hominibus & definito quodam numero præscriptoq; modo officium hoc exercendum demandatur, sicut Anconæ fieri *Stracch. d. lo. n. 9.* testatur. Ex litteris etiam mercatorum, Francofurti non nisi cives, & quidem haud ultra numerum ternarium admitti, compertum habeo, qui per mercatores Senatus auctoritate constituti, juramentum præstare coguntur, se ex fide officium hoc gesturos, nullumq; quem vel facultatibus labi, vel jam lapsum esse sciant, laudaturos aut idoneum esse affirmaturos. Tempore tamen nundinarum peregrini aliquot, ob mercatorum negotiorumq; frequentiam, civibus adjunguntur, adhibitâ prohibitione, ne quis eorum (id quod tamen etiam in civibus constitutum est) mercaturam exercent.

XXXIII.

*Forma* officii proxenetici in jam constitutis proxenetis itidem vel generalis est, vel specialis. *Generalis* consistit in eo, ut bona fide cuncta negotia ipsis commissa gerant ac peragant, voluntatesq; contrahentium ex fide explorent & interpretentur, ministeriumq; tantum in tractando, non etiam in concludendo, nisi partium voluntate, adhibeant, *Stracch. d. tr. part. 1. n. 6. & part. 4. §. Legitur in singulari. n. 8. Bald. in. l. multum. n. 9. C. si quis alter. vel. nec dolo aut calliditate contrahentes circumveniant, l. 2. de proxen.*

XXXIV.

Officii proxenetici forma *specialis* in proxenetis constitutis itidem in celebrioribus tantum emporiis in usu est. Ibi enim semper pugillares aliquot in promptu habere, inq; eos conventiones, pacta & quicquid inter mercatores peragi solet inscribere.

83  
inscribere, nec quicquam ante biennium vel triennium in eis  
delere aut expungere; domi autem quicquid pugillaribus in-  
sertum est, in libros ad id destinatos diligenter, accuratè & bo-  
nâ fide transferre & transcribere tenentur. Quoniam dissiden-  
tibus, aut de conventionibus ac pactis dubitantibus partibus,  
hisce libris plenaria, ob præstitum juramentum adhibetur fi-  
des, vid. *Rapha. de Turri in tr. de camb. disp. 1. quest. 2. n. 9.*

XXXV.

Ad formam quoque hujus officii pertinet, quod alii gra-  
tis, alii verò, & quidem plerique, spe præmii ministeria sua ne-  
gotiis accommodent, *Bald. 4. consil. 370. n. 3.* In quâ tamen re di-  
ligenter negotia, in quibus adhibentur, distinguenda sunt. Ra-  
tione enim quorundam omninò nihil exigere possunt, ut si  
quis mediator sacerdotii fuerit, *Nov. 123. c. 2. §. 1.* Ibi enim cleri-  
cus, si quid eo nomine acceperit in simplo, laicus verò in duplo  
Ecclesiæ restituere tenetur. In quibusdam autem certus &  
constitutus est salarii modus, ut in nuptiis, *l. ult. C. de sponsal.*  
Licet enim Imperator mallet nihil accipi à conciliatoribus, si  
tamen eo nomine pactum intercesserit, non ultra vicesimam  
dotis partem & donationis propter nuptias exigi permittit,  
pœnâ adversus transgressores decem librarum auri definitâ,  
*Cuiac. 1. 1. Obs. 18. C. 1. A. de sponsal. tb. 8.* In plerisque denique ni-  
hil certi constitutum reperitur, nihilominus tamen pro modo  
quantitatis & negotii, in quo operulâ istâ defuncti sunt, sala-  
rium ipsis exigere permissum est, *l. 3. de proxen.*

XXXVI.

Progrediendum nunc ad effectus, considerandos vel *ra-  
tione* ipsorum proxenatarum, vel *ratione* eorum quorum cau-  
sa interveniunt.

XXXVII.

Ratione ipsorum proxenatarum considerantur vel se-  
cundum obligationem, vel secundum actionem, ex officio in-  
terposito resultantem.

XXXIIX.

Ratione obligationis sciendum regulariter proxenetam  
propter ministerium, quod quale quale negotiis adhibet, non  
teneri, nec ullo modo obligari, *l. 2. de proxen.* An autem & quo-  
modo hoc sit intelligendum, adhibitis quibusdam extensioni-  
bus & restrictionibus, cū *Stracch. d. tr. pari. 3. n. 1.* declarandū erit.

Quoad extensionem itaque sciendum, eos nullâ ratione obligari, etiam si partes commoneant vel hortentur, vel etiam consiliis regant, *l. 2. de proxen. l. 10. §. 7. mandat. l. 20. de his qui not. infam.* Non enim animo obligandi illud facere præsumuntur, & laudando nomen magis monstrant illud, quàm mandant, *d. l. 2.* Neque etiam quisquam ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui datur. Quia cuiq; liberum est apud se explorare, an expediat sibi consilium, *l. 2. §. ult. mandat.* Nisi fraudulentum & in effectum deductum esse probetur, *l. 47. de R. I. Wes. π. mandat. n. 7. Bachov. ad Tr. I. d. 27. th. 5. lit. g. Magnificus, Nobiliss. atque Ampliss. Dn. D. Tabor, Præceptor, Promotor & Patronus æviternum colendus in Racem. crim. 4. th. 14. & 38.*

## LX.

Ampliatur porrò prædicta regula etiam in eo, qui litteras commendatitias in negotio principaliter ad se non pertinente scripsit. Consideranda enim hic (1) persona scribentis, quæ nihil aliud agit, quàm ut nudum ministerium ad negotium aliquod perficiendum præbeat, *Bald. 5. cons. 366.* Sciendum (2) litteras commendatitias non obligandi, sed commendandi tantùm animo, sicut regulariter ab omnibus, ita etiam ab ejusmodi hominibus emissas præsumi, *l. 12. §. 12. mandat. l. ult. C. quod cum eo qui in al. pot. l. 49. pr. de Aedil. edict. Wes. π. mandat. n. 6. Finkelth. 16. Observ. Carpzov. Jurispr. for. part. 2. constit. 18. n. 1. & seqq. Mey. ad Jus Lubecc. lib. 3. tit. 10. art. un.*

## XLI.

An autem ampliatio hujus regulæ etiam in eo, qui imperitè & negligenter in negotio sibi commisso versatus est, locum habeat, videndum. Dicendum autem videtur quod non: quoniam imperitia non tantùm ejus, qui artem aliquam proficitur, culpæ annumeratur, *l. 8. pr. ad l. Aquil. §. 7. l. eod. & l. 6. §. 7. de Offic. Præsid.* sed & aliorum, qui intelligunt vel intelligere debent, infirmitatem aut imperitiam suam aliis damnosam aut periculosam futuram, *d. l. 8. §. 1. ad l. Aquil. c. significasti. extr. de homicid.* Verùm magis est, ut ea hic quoque admittatur. Sciunt enim vel scire debent contrahentes ejusmodi homines plerumque vilioris esse conditionis, & ob exiguum aliquod lucrum operam suam qualem qualem interponere. Quamobrem sibi & suæ



& suæ facilitati imputent, qui eorum opera in perficiendis negotiis utuntur, *arg. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod.* Neq; obstat, quod ob mercedem plerumq; ministeria sua negotiis accommodent. Ad quos autem utilitas ex contractu aliquo redundare solet, eos etiam ad culpæ præstationem teneri, juxta *l. 5. §. 2. commod.* Ex ipso enim contractu nihil ad eos pervenit, sed tantum ob ministerium in negotio tractando & perficiendo adhibitum. Possunt tamen, si imperitiæ aut negligentia arguantur, ab officio removeri juxta *c. clericus. 4. dist. 91. Stracch. d. tr. part. 3. m. 5.*

## XLII.

Licet autem ad officium proxenetæ jurati pertineat, nec laudare nomen facere desiderantem, nec non idoneum esse temerè affirmare, videamus tamen si eum, quem deinde non solvendo esse constiterit, laudaverit, an & quomodo teneatur. Et videtur hac in re distinguendum esse, an sciverit eum jam non solvendo esse, vel mox desitutum esse solvendo; an verò ignoraverit. Si ignorantiam probare poterit, securus erit, nec ullo modo tenebitur, cum dolus, etiam si proxeneticum acceperit, *l. 2. de proxen.* in illo non præsumatur; neque officium suum cuiquam debeat esse damnosum, *l. 7. testam. quemad. aper. l. 19. ex quib. caus. mai. l. 61. §. 5. de furt.* Si verò scivit eum facultatibus labi, vel jam lapsum esse, & nihilominus idoneum esse affirmavit, omninò teneri puto, si ve proxeneticum acceperit si ve non. Nemini enim dolus patrocinari debet, *l. 43. §. 1. vers. præterea. de admin. & peric. tut. l. 12. de dolo. l. 2. C. si min. se maior.* Nec obstat *l. 2. de proxen. vel l. eleganter. 7. §. ult. cum l. seq. ff. de dolo.* Non enim illorum verborum sensus est, quasi is qui nulla lucri causa, non idoneum idoneum esse affirmavit, planè nullâ actione teneatur, sed tantum quod non teneatur actione doli subsidiariâ. *Hier. Alban. in addit. ad Bart. in d. l. 7. §. ult.* Facile itaque alia conveniri poterit actione.

## XLIII.

Multò minùs obligantur conciliatores nuptiarum, licet virginem, quam sibi matrimonio jungi alter desideravit, formosam, bonam, juvenem, divitem, nobilemq; esse, quam vis falsò, affirmaverint, *arg. l. 19. pr. de Aedil. edict.* Sibi enim imputare debet, qui ejusmodi hominibus fidem adhibet, quos scire debebat, callidis machinationibus atque consiliis cuncta ferè  
sine

ne rubore affirmare aut laudare, modò aliquid inde percipiant  
lucris. An autem dolo proxenatarum contracta ob ejusmodi  
errores matrimonia dissolvi possint, quæritur? Et respondetur  
omnino quod non, cum non pertineat ad substantiam matri-  
monii dives ne quis sit, an pauper; nobilis an ignobilis. Spe-  
ctant enim hi errores fortunam & qualitatem tantum persona-  
rum, per quos matrimonia nullo modo rescindi posse docet, *c.*  
*un. caus. 29. quest. 1. Wes. 7. de ritu nupt. n. 8. Beust. de jur. connub.*  
*part. 2. c. 44. Bocer. cl. 1. d. 9. th. 79. C. I. A. de R. N. th. 28. n. 1. Cypræ.*  
*de sponsal. c. 13. §. 58. n. 3. Gerhard. in loc. de coniug. c. 5. part. poster.*  
*n. 399. Vallens. 7. ext. de coniug. serv. n. 7.*

XLIV.

Quod limitationes adductæ regulæ attinet, obligantur  
proxenetae, tum ratione commissorum circa negotia licita, tum  
etiam ratione commissorum circa negotia illicita. Circa ne-  
gotia licita obligantur, si dolo & caliditate contrahentes cir-  
cumveniant, *l. 2. de proxen. v. g. si quem facultatibus lapsum*  
*idoneum esse affirmant, Stracch. de decoctor. 2. part. ult. part. n. 34.*  
*vel alio modo dolosè in negotiis sibi commissis versentur: vel si*  
*pacta & conventiones contrahentium non bonâ fide pugillari-*  
*bus aut libris suis inserant, v. g. omittendo, delendo aut adden-*  
*do aliquid. Obligantur enim tum ex L. Cornel. de fals. l. 1. §. 4. ad*  
*L. Cornel. de fals. l. 23. C. eod. si sc. eorum libris fides aliqua habe-*  
*atur, ut notat Bart. ad d. l. 1. §. 4. ad L. Cornel. de fals. Cancellationi-*  
*bus enim inductionibus ac superinductionibus, & omni deniq;*  
*suspicionem carere debent, ut tradit Stracch. de mercat. part. 2. n.*  
*63. & de proxen. part. 3. n. 40. Item obligantur si fraudulenta con-*  
*silia mercatoribus jam decoctoris in necem creditorum dent,*  
*ut rationes in eorum fraudem tam in codicibus, quàm in adver-*  
*sariis intricent, interdican, adulterent & turbent, juxta l. 1. §.*  
*ult. de serv. corrupt. & l. 21. pr. de pecul. Stracch. d. lo. n. 41.*

XLV.

Quomodò autem & quousque teneantur videamus. Et  
quoniam nemo cum damno alterius locupletari debet, *l. 14. de*  
*condict. indeb. l. 206. de R. I. præsertim si dolus & fraus ejus inter-*  
*veniat, l. 3. §. 1. de eo per quem fact. Magnif. atque Excell. Dn. D. Ta-*  
*bor in Jurispr. method. part. 2. th. 22. in ex. neque dolus impunitus*  
*relinquendus, l. 4. §. 2. de noxal. act. ideoque eos non tantum in*  
*id, quod*

id quod proxenetici nomine ab actore acceperunt, sed etiam in id quod actori abest teneri, æquè ac ipsum principalem reor. Si tamen actori per principalem satisfactum sit, proxenetam quoque liberari arbitror, *vid. latè Stracch. de proxen. part. 3. n. 31. usque ad n. 39.* Ab evictione autem præstandâ, licet id Plato *12. de Ll. velle videatur*, eum liberum esse, cum Cujac. *11. Obs. 18.* qui nos eo jure non uti scribit, affirmo.

## XLVI.

Ratione commissorum circa negotia illicita obligantur, si ministri & mediatores extiterint adulterii aut stupri, *Nov. 134. c. 10. pr. l. 37. §. 1. de minor. l. 4. §. 2. de his qui not. infam. parricidii l. 7. ad L. Pomp. de parricid. V. Ves. π. ff. d. t. n. 8. raptus, l. un. vers. pœnas. C. de rapt. virg. Pac. Anal. Cod. ibid. n. 4. furti, l. 50. §. 1. 2. & 3. de furt. Magnif. atque Amplif. Dn. D. Tabor, Racem. crim. 4. th. 8. & 9. aliorumq; delictorum tum publicorum, tum privatorum. Hi enim omnes, æquè ac criminum authores ipsi, obligantur, pœnasq; legibus constitutas haud immeritò luunt, *dd. Ll. Stracch. d. tr. part. 3. n. 27. & seqq.**

## XLVII.

Puniuntur quoque ii, qui mediatores sacerdotiorum extiterunt. Non enim tantum qui eorum ministerio ad sacerdotium promoti sunt, secundum sacram scripturam & sanctas regulas damnationi subjiciuntur, sed etiam mediatores & proxenetæ, ita ut si clerici fuerint, præter remotionem à sacerdotio aut cleri honore, si quid proxenetici nomine acceperunt, id in simplo, si verò laici fuerint in duplo Ecclesiæ restituere teneantur, *Nov. 123. c. 2. §. 1. Rittershus. expos. Nov. part. 1. c. 7. n. 34. & seq. in super etiam de jure Canon. infamiæ notam incurrant, c. fin. caus. 1. quæst. 3. gl. in c. 1. de testib. in 6. Vallens, π. extr. de Simon. §. 4. n. 14.*

## XLIIX.

Sequuntur nunc effectus ratione officii proxenetici resultantes, quorum præcipuus est, ut proxenetica, si bona fide in negotiis versati fuerint, petere jure licito possint. *l. 1. de proxen.* Quibus autem actionibus id fiat distinctione expediendum est.

C

Aut



Aut n. promissa sunt à partibus, aut non sunt promissa. Si sunt promissa iterum distinguendum, an stipulatione vel pacto, an verò sponte & voluntate libera sint promissa. Si stipulatione, ulterius distinguo, an certum stipulati sint, & tùm certum illud conditione certi peti possunt, *l. 24. de reb. cred.* an verò incertum, & tùm competit eis actio ex stipulatu, *d. l. 24.* Promissa autem pacto (id quod etiam de quantitate certâ ac definitâ intelligendum) peti possunt actione præscriptis verbis, vel actione doli, si dolus arguatur. Hic enim conventio non est nuda, ut quis dicat ex pacto actionem non oriri, sed habet in se negotium aliquod, ex quo civilis actio oriri potest, contractum nempe innominatum, facio ut des, *l. 15. de præscript. verb.* Si denique à partibus nullo precedente pacto aut stipulatione, sed sponte aliquid, incertum tamen, promissum sit, extra ordinem peti potest, *l. 1. & ult. de proxen. VVes. π. ibid. n. 1. Cuiac. II. Obs. 18. Pac. Anal. C. de sponsal. n. ult. Zoef. d. r. n. 11.* Id quod etiam ubi nullâ planè promissio intercessit, locum habet, *dd. Ll.* Quantum autem tùm peti possint, in arbitrio iudicis positum est, qui quantitatem juxta modum negotii & operulæ quâ functi sunt aestimabit, *l. 3. de proxen.* Quid tamen circa conciliatores nuptiarum & sacerdotii juris sit, ex iis quæ *th. 35.* dicta sunt cognoscere poteris. Hodie autem ubique ferè locorum, in quibus mercatura viget, ratione emtionum & venditionum aliorumq; contractuum pro centum florenis unum, ratione verò cambiorum faciendorum pro mille demùm unum petere possunt.

#### XLIX.

Dantur autem hæ actiones adversus eos, qui vel proxeneta promiserunt, vel quorum causâ & voluntate officium suum interposuerunt, ad id quod ipsis promissum est: vel si nihil promissum sit, ad eam quantitatem, quam iudex ipsis pro ratione negotiorum, quibus operam suam accomodaverunt, dandam existimabit, *l. 3. de proxen. l. 1. §. 10. de extraord. cognit.*

#### L.

Circa considerationem effectuum maximè an & quatenus proxeneta in negotiis, in quibus intervenerunt, testes esse possint controversi solet. Ad cujus rei declarationem distin-  
ctio

Etiones quædam adhibendæ sunt. Aut enim operam suam accommodaverunt negotiis licitis, aut illicitis. Si licitis, videndum an sint jurati & à magistratu approbati, alboq; proxenitarum inserti; an verò spontè hoc in se susceperint officium. Si à publico sint approbati, juramentumq; præstiterint, in omnibus negotiis, quibus ministerium accommodaverunt, sive unâ sive utrâq; parte consentiente, testimonium eorum admittitur, insuperq; eorum libris fides omnimoda habetur, ut docet *Rapha. de Turri tr. de Camb. disp. 1. quest. 2. n. 7. 8. & 9.* Si verò non publicâ, sed privatâ auctoritate h. in se susceperint officium, distinguendum est an consentientibus partibus ad testimonii dictionem vocati sint, an verò dissentientibus. Si utraque pars in eorum testimonium consentiat, vel inviti ad ejus perhibitionem compelli possunt, *Nov. 90. c. 8. Gail. 1. Obs. 100. n. 17. VVes. de proxen. n. 1. Rittersh. Expos. Nov. part. 9. c. 22. n. 24.* Si verò dissentiant partes videndum an ab utrâque parte rejiciantur, an verò ab alterâ tantum. Priori casu planè non admittuntur *gl. in d. c. 8. Nov. 90.* Posteriori regulariter quidem, propter præsumptionem eos potius ob spem lucri de contractus perfectione testimonium edituros, etiam repelluntur, *Gail. d. obs. 100. n. 19. Stracch. de proxen. part. 4. n. 4.* Eos tamen idem *Stracch. d. 10.* in sequentibus casibus admittendos vult, ut (1) si à parte ab initio contradicente testimonium eorum requiratur (2) si ad probationem matrimonii vocentur. *VVes. de proxen. n. 1.* Affectio- nis enim ratio ibi nulla habetur, ita ut ne parentum quidem testimonium rejici possit, *c. super eo. 22. extr. de testibus. Cypra de sponsal. c. 14. §. 5. n. 1. 2. & 3.* (3) Eos admitti vult in rebus perfectionem aut explicationem negotii non concernentibus. Ibi enim præsumptio, eos ob commodum aliquod testimonium dicturos, locum non habet. Deniq; ratio prohibitionis in omnibus iis negotiis, ubi vel cupido lucri & commodi, vel mala fides ipsis objici non potest, cessat, *Rota decis. 97. n. 3. & 4. & decis. 188. n. 10.* Si autem in negotiis illicitis interveniant sciendum eos regulariter à testimonii dictione repelli ac rejici, præsertim si proxenetica expectent, *arg. l. 10. ff. & C. de testib.* Censentur enim esse socii criminis, *l. 11. C. d. t.* & viderentur tum magis ad utilitatem & commodum suum respicere, quàm veri-

28  
tatis detegendæ causâ testimonia edere, *Bocer. class. 6. d. 23. th. 39.*  
Admittuntur tamen (1) in crimine Simonix, si non agatur cri-  
minaliter, neque exindè emolumentum fuerint assecuti, parte  
alterâ etiam invitâ & recusante, *c. 1. de testib. in 6. Stracch. d. lo.*  
*part. 4. n. 27. & seq. Wes. d. lo. n. 1.* (2) In odium fœneratorum in  
contractibus usurariis non rejicitur eorum testimonium, per  
adducta à *Stracch. d. lo. n. 31. & 32.* (3) Denique secundùm Ar-  
chidiac. in *d. c. 1. de testib. in 6.* testes esse possunt in crimine hæ-  
reseos, referente *Stracch. d. lo. n. 34.*

LII.

Agendum nunc paucis de effectibus ratione partium re-  
sultantibus, quorum præcipuus est obligatio ad solvenda pro-  
xenetica, si bona fide in negotiis versati fuerint proxenetæ. So-  
lent autem aliquando utriusque partis consensu & voluntate  
ad negotii alicujus tractationem accedere, & tunc utraque et-  
iam pars obligabitur. Aliquando autem unius tantùm partis  
rogatu interveniunt, & tùm ea etiam sola ad solutionem tene-  
tur. Quandoque etiam inter se de ejus solutione convenire so-  
lent partes, & tunc juxta conventionem illam obligantur,  
*l. 1. §. 6. depos.* Quando autem nihil inter eas convenit, neque  
etiam liquet, cujus potissimum voluntate intercesserint, tùm in-  
dubio utriusque partis consensu intervenisse præsumuntur, &  
solutio ab utrâque parte fieri debet, *Stracch. d. lo. part. 1. ult. part.*  
*n. ult.*

LIII.

Ad effectus ratione partium pertinet quoque illud, quod  
conventionibus, à proxenetis eorum voluntate interpositis, si  
nihil fraudis intercesserit stare cogantur, etiam si fortè inter se  
collocuti non fuerint. Licet enim præsentia illorum regulari-  
ter requiratur, non semper tamen, præsertim si contractus et-  
iam ipsis absentibus perfectionem accipere possit, necessaria  
est. Quandoque etiam ex præscripto notulæ, per proxenetam  
factæ (quod tamen non de omnibus, sed de juratis tantum mo-  
do accipi velim) contrahentes etiam invitati, omnia, mandato  
magistratus, adimplere coguntur, sicuti *Raph. de Turri de Camb.*  
*disp. 1. quest. 16. n. ult. docet.*

LIII.

Absolvi haec hactenus consentanea proxenetarum, sequuntur nunc dissentanea, quomodo scilicet eorum officium finiatur. Ubi (1) occurrit contrarius consensus. Sicuti enim consensu partium constituuntur, ita etiam eodem consensu rejici possunt, §. ult. l. quib. mod. toll. oblig. cum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidve dissolvi & tolli quo colligatum est, l. 35. de R. I. (2) Finitur hoc officium morte vel proxenetarum vel partium. Nam quodcumque voluntate, id etiam plerumque morte revocatur, quoniam hac voluntas finitur, l. 4. Locat. VVes. π. de procurat. n. 11. & π. mandat. n. 9. Posteriore tamen casu distinctione quadam opus esse puto. Aut enim utriusque contrahentis voluntate electi sunt, aut alterius tantum. Si utriusque, officium finitur, quicumque eorum praemoriatur: quoniam consensus inter ipsos tantum non ultra intercessisse praesumitur. Sin alterius tantum, tum demum finitur, quando is cujus voluntate electus est, moritur, nisi negotii qualitas aliud suadeat. (3) Extinguitur negotio, in quo ministerium aliquod adhibuerunt, finito & perfecto. (4) Negotio etiam pendente, si imperitiae aut negligentiae arguantur, ab officio removeri possunt, uti supra in fine th. 41. dictum est. (5) Finitur hoc officium renunciatione proxenetae, arg. l. 22. §. ult. mandat. modò renunciatio illa tempestivè fiat, & partium non intersit officium susceptum adimpleri, arg. l. 27. §. 2. d. t.

## LIV.

Superfunt adhuc tractanda affinia proxenetarum. Inter quae primum locum occupant procuratores. Qui licet magnam affinitatem habeant cum proxenetis, differunt tamen ab eis. (1) Ratione formae, mandat. enim semper gratuitum esse debet, l. 1. §. ult. mandat. proxenetarum verò officium plerumque gratuitum non est, l. 1. 2. & 3. de proxen. l. ult. C. de sponsal. (2) Differunt ratione effectus. Procuratores enim non ex fide negotia sibi commissa gerentes, etiam sine mentione doli infamiam subeunt, l. 1. l. 6. §. 5. de his qui not. infam. C. A. ibid. th. 22. non item proxenetae, nisi de dolo condemnati, l. 2. de proxenet. (3) Differunt ratione finis. Procuratores enim officium studio promovendi amicorum negotia in se suscipiunt, VVes. π. mand.

7. Proxēneta vērō plerumque, ut exinde commodum aliquod consequantur.

L V.

Aliquam etiam affinitatem cum proxeneta habet arbitrator, qui tanquam mediator in contractu ad definiendas ex equo & bono partes, v. g. societatis, vel ad definiendam mercedem & pretium intervenit, *Gail. l. Obs. 150. Ampliſſ. atque Conſultiſſ. Dn. D. Bicc. ſect. 5. Rer. quot. th. 117. lit. Ss.* Differunt tamen multis modis. (1) Enim proxeneta nihil definit, sed partium voluntates inquitit ministeriumq; non in concludendo, sed in tractando tantum adhibet, *Stracch. de proxen. part. 1. n. 6* id quod tamen arbitratori incumbere modò dictum est. (2) Arbitrator ab officio semel suscepto, non nisi prolatâ aliquâ sententiâ discedere potest, *arg. l. 3. §. 1. de arbitr. Bald. in l. ult. C. de contrah. emt. n. 29.* Proxēneta autem etiam imperfecto negotio discedere permiffum est, *Stracch. d. lo. part. ult. n. 5. & ſeqq.* (3) Arbitrator semper utraque parte consentiente eligitur, *l. 3. §. 1. l. 44. de recept. qui arbitr.* non item proxeneta, qui aliquando unius tantum voluntate intervenire solet, sicuti *ex th. §. 1. apparet.*

L VI.

Inter affinia quoque numerari potest suffragator. Differt tamen à proxeneta in eo, quod non conciliet contrahentes, sed suffragio tantum suo juvet clientes apud Principem *l. 1. C. de suffrag.* neque etiam præmium suffragii alio modo, quàm per conventionem aut stipulationem expectare possit, *d. l. 1. pr. C. de suffrag.* pro ut proxeneta qui, etiam si nulla conventionem de proxenetico sibi prospexerit, nihilominus tamen extraordinem aliquid eo nomine peti potest, *l. 3. de proxen. Magniſ. atque Conſultiſſ. Dn. D. Tabor in part. prior. de suffragat. oper. & remun. th. 27.*

L VII.

Et tantum pro angustia temporis, instituti ratione & ingenii tenuitate de materia hac quotidianâ dixisse ac scripsisse sufficiat. Tu lector benevole, si quædam vel addenda, commutanda, aut omittenda existimabis, eadem animi dexteritate, quâ tibi hæc offeruntur, indica. Discendi enim cupiditatem, cum Pomponio Jcto *in l. 20. de fideicom. libert.* solam vivendi rationem optimam puto. DEO T. O. M. sit

Gloria, Laus, & Honor

SINE FINE.



*Clarissimo & Præcellentissimo.*

V I R O

DN. DAVID THOMAN,  
J. U. C. pro insignibus & honoribus Docto-  
ralibus Consequendis disputanti.

**P**Risca quidem, sed vera loquor, dum debita dico,  
Virtutem eximiam concomitatur honos:  
Ipsa sed adversis exercita denique fatis  
Vim monstrat, precium consequiturq; suum.  
Quod loquor exemplo monstras THOMANNE recenti,  
Virtutis cultor perpetuusq; comes.  
Horrida cuncta tibi dulcis spes dulcia fecit,  
Nec potuit tantum ludere vana virum.  
Quod turbat finire datum est, nec digna laboris  
Præmia solliciti distulit alta Themis  
Nunc quoque vitali defunctum munere summus  
Arbiter æternas accumulabit opes.  
Sic tua perpetuos virtus defendet honores,  
Undique fortunâ te comitante Ducem.

*Adfectus testandi causa  
scripsit*

Fridericus Deckherr,  
U. J. D.

66  
Dum famam laudesq; tuas satiare laborat  
Argentoratum, doctaq; Turba Virum;  
Omnes quod possit voces onerare voventum  
Applausum, dicam, sic & habere telos.

Nobilis in visum non est TVA nomen Amice  
VIRTUS (quos Virtus fecit in Orbe) DIIS.  
Regibus en Atavis gaudens MONTFORTIUS HEROS  
Ipse Tibi calamo candida verba dedit.  
Grande puta, & tantâ plus felix laude superbi,  
Nam laudis major nascitur Ordo Tibi.

Sic

Nobilissimo D. Candidato  
animum devotissimum  
affectum candidissimum  
contestatur

Georgius Philippus Nis.

F I N I S.









X 2615934

Wort







DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

28 77.

DE  
PROXENETIS

1650, 13.

QUAM

D. T. O. M. A.

*Ex auctoritate & Decreto*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AM-  
PLISSIMIQUE JCTORVM ORDINIS  
IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE

*Pro*

Summis in utroque Jure honoribus ac pri-  
vilegiis Doctoralibus ritè ac legitimè  
consequendis,

*Publico & Solemni examini  
submittit*

DAVID THOMAN, LINDAVIENSIS.

In Auditorio Majori

*d. Mens.*



ARGENTORATI,

Typis Heredum JOHANNIS ANDREÆ.

*M. DC. L.*